

potus morbum produxerint; præcessere tempe-
states adversæ, & errores Diætæ, atque æger aeri
liberiori se exposuit, aut genio indulgendo, lym-
pham vitiosam in corpore cumulavit. Si a frigore
malum oriatur, pallor faciei, frigiditas capitis, sine
siti & anni tempestas illud indicabunt, quo & po-
tus frigidus & balnea aquæ frigidæ, sunt referenda,
ut & si æger post balneum aeri liberiori frigido se ex-
posuerit. Utrum vero malum Idiopathicum sit &
an per essentiam pulmones laborent, cognoscimus
ex aliorum viscerum integritate, & vitio membro-
rum spiritualium, quibus communiter magis conti-
nua & laboriosa tussis jungitur. Si latus humor
intus est, vehementissima eaque sicca tussis, urget,
& respiratio minus est libera, spiritusque difficulter
trahitur, sic, ut quandoque stertor atque sibilus
conjungantur. Tenaciter enim adhæret materia
peccans parietibus interioribus asperæ arteriæ, &
ejus ramificationum, atque sufficientem aeris quan-
titatem non admittit, quanta quidem ad respiratio-
nem est necessaria. Si vero ex inflammatione pul-
monum malum pendeat exspirandi difficultas, fe-
bris acuta, lingva scabra, genæ rubræ & sensus gra-
vitatis negotium faceſſunt. Si a pleuritide est, si-
gna febrilia respirandi difficultas & dolor acutus
lateris conjunguntur. Et qui ita laborant, auram fri-
gidam